

Z d
6656





QK 2684

Z d
6656

MEMORIAE SACRUM

VIRI

MAXIME REVERENDI, AMPLISSIMI
ET EXCELLENTISSIMI

DN.

PAULI ROBERI,

Doctoris Theologi & Prof. P.

in Universitate VVittebergensi celeberrimi, Ecclesiae
istius & Circuli Electoralis Ephori Generalis, nec non in
Consistorio Ecclesiastico Assessoris, de Rep.
Christiana optime meriti.


Ex stipulato & Collegiali fide persolutum.

à

JOHANNE HULSEMANNO

Theol. Doct. & Prof. in Universitate

Lipsiensi.



LITERIS RITZSCHIANIS

excusum

LIPSIAE,

Anno Chr. cdo lcc LI.



JOHANNES GÖRBER

1713


JOHANNES GÖRBER

1713

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
MAGDEBURG

r
l
r
r
b
e
B
g
t
ti
il
a
n
l
t
v
o
t
t
o
o





I mihi rogato sententia hodie dicenda sit, propiusne pertineat ad virtutum præmia, an incitamenta, ut illustrium virorum laudes posteritati decantentur? æqvitatē quidem intuitu, ad præmia potius hoc genus officii pertinere dixerō: ad seculi autem mores si me convertō, publicæ utilitatis pluris interesse judicandum est, ne de Rep. benè meriti Viri obeant illaudati, quàm ipsorum columnarum. Neq; enim ipsi his afficiebantur, dum inter nos viverent, neq; ista sudoribus & vigiliis suis venabantur: neq; conjuges aut liberos, si quos olim relinquerent, hisce vel tantillum juvari putabant: neq; ipsi Beatorum cives tantò sunt beatiore aut potiore in illa, quàm nunc degunt, civitate, si ab exulibus & commilitonibus quondam suis celebrentur; Quum ex accuratiorē longèq; graviorē Supremi judicis sententiā coronas illas gestent ad quas hinc evocati sunt. Posteritatis autem, & Reip. in militiā adhuc constitutæ quàm maxime interest, ut in adolescente ætate virtutis rarus & languidus amor, hanc quasi Etesiarum aspiratione suscitetur, & ad legenda eadem vestigia accendatur.

Compensandus est enim abblandientium corporis voluptatum, opum atq; divitiarum contemptus, citra quem nulli licet esse virtuosum, hoc præcipuæ, & nobilioris in Rep. partis iudicio; ne illi, quos gratis poenitet esse probos, frustra omninò virtuti se operam elocasse lamententur, frustra sudasse, aluisse, eguisse: Suâque hanc miseriam terrere potius alios, quàm ad sequendum

4.
dum invitare videantur. Quum enim Resp. nec tuta ab hostibus, nec pacata civibus, nec verenda legibus, nec opibus felix, nec æternitatis deniq; spe beata esse possit, absq; his virtutis & pietatis Doctoribus si fuerit; Illicia verò & cupedias, quibus ad asperam hanc & salebrosam viam subigendam, dolorum & curarum impatiens juvenus invitetur, nullas offerat, præter eas, quas à ferâ tandem honoris & gloriæ messe mutuatur; interest profectò Reip., salutis suæ si consultum cupit, ne hanc veluti unicam & solam nutriendæ virtutis escam furripi aut interverti candidatis suis patiatur.

Gloria verò, cum non ubiq; idem inveniat precium, non solum ob gestorum diversitatem & inæquales gradus, quos in hoc stadio commilitones facimus; sed ob fori quoq; & Tribunalium differentiam, in quibus de indole & differentiâ veræ vanæq; gloriæ pronuntiatur: & naturâ sic comparatum sit, quisq; ut illi cum primis gloriæ inhiet, quæ & solida sit, & dominetur latius, & collaudetur à pluribus iisq; optimis Viris, & perstet diuturnior, sive ab interitu & oblivione sit, securior; consequens erit, illam potissimum gloriam aspirantibus ad Reip. gubernationem animis inculcandam esse, quæ radices in solido veræ virtutis fundo figat, laudemque non inter calones & lixas, sed inter optimos quosq; & præstantissimos Viros mereatur, in universâ deniq; sanctorum hominum & Angelorum societate, æternum & nullo temporis intervallo minuentum honorem consequatur. Quid juverit enim, sive ob Moriam ad vivum expressam, aut histrionicam lepidè gestam, sive ob circum, aut extensam chordam, veloci pede calcatos, aut discum rectâ trusum, pauculis rusticis aut mulierculis admirationi fueris, quandiu
gesti-

gesticulatio delectat; mox autem cæno & pulvere con-
 spergaris, neq; ullo in Rep. honesto loco censearis?
 Ea propter hujus cumprimis gloriæ semina jacienda,
 juvenumq; in spergenda sunt animis, quæ non men-
 tiantur virtutis effigiem ubi soboleverint, nec proleta-
 riæ plebis manipulo placere studeant, neq; velut sol-
 stitialis herba aut narcissus unô die vel mense concidant;
 Sed quæ Deum factorem conditoremq; agnoscant, à soli-
 dâ eruditione, sincerâ pietate, & castis morib9 seprobent
 & agnoscantur. Hæc gloria manet in perpetuum, habet
 viri justî à Spiritu Sancto conceptum elogium Ps. 15. Eius
 nempe, qui ingreditur sine maculâ, & operatur justitiam,
 qui loquitur veritatem in corde suo, nec fovit dolum
 in lingvâ suâ: nec fecit proximo suo malum, nec oppro-
 brium accepit adversus proximos suos: dispersit, dedit
 pauperibus, disposuit sermones suos in judicio &c.
 hujus laus non commovebitur in æternum: In memo-
 ria sempiternâ erit justus, ab auditione malâ non time-
 bit: Justitiâ ejus manet in seculum seculi, & cornu
 ejus exaltabitur in gloria! Inertium verò & ignavo-
 rum tabernæ ingloriæ corruent, peribunt quasi nun-
 quam extiterint, & quamvis nati in hunc mundum
 fuerint, occumbent tamen quasi nunquam fuissent nati,
 & si vel maximè de voluptatum lenocinio complicibus
 suis inclaruerint, computrescet tamen nomen illorum,
 & damnabitur ab ipsis Sectatoribus memoria ipsorum.
 Væ enim vobis Viri impii, qui dereliquistis legem DEI
 altissimi! Et cum nati fueritis, in maledictione nasce-
 mini, & cum mortui fueritis, in maledictione erit pars
 vestra: At qui prudentiæ virtute sanctissima verba
 populis prædicarunt, nunciantes in Prophetis dignita-
 tem Prophetarum, requirentes in peritiâ suâ modos

*Psal. 112.**Sir. 41, 12.**Cap. 44.*

A 3

Mus-

Musicos, & narrantes carmina Scripturarum : pietatis
 studium habentes, & pacificantes in domibus suis :
 Omnes hi in generationibus suis gentis suæ gloriam
 adepti sunt, & in diebus suis habebantur in laude :
 corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum
 vivit in generationem & generationem : De sapientia
 ipsorum commemorabunt populi, & laudem eorum
 conservabit Ecclesia. Neq; tamen hîc sisset aut ponet
 gloriæ cumulus, ubi fatalis & pantrocriticæ flammæ
 vindicta metuenda est, & cum codicillis fasti quoq; ipsi
 in perpetuas favillas dissolventur; verum attollet alas
 suas ad supernam melioremq; regionem, quæ à vasta-
 tione secura est; ad civitatem, quæ non commovebi-
 tur; cujus & Architectus & fundamenta æterna sunt;
 ad civitatem DEI viventis, ad cœlestem Jerusalem, ad
 multorum millium Angelorum frequentiam : ad Ec-
 clesiam primitivorum qui conscripti sunt in cœlis. In
 hâc multitudine, eaq; tam grandi, ut numerare nemo
 possit; in hâc augustâ civitate, quæ mutationem non
 metuit, inter hos æternitatis candidatos; Apud judicem
 Universi Orbis, apud Imperatorum & Monarcharum
 omnium censores & Dicastas celebrem esse, veneran-
 dum audire, encomiis attolli, hoc demum, hoc gloriæ
 non vanæ aut umbratilis instar habiturum fore conce-
 damus. In hâc enim circulatorum palæstra, quantum-
 cunq; nobis palporum aut popismorum obtruditur,
 de parasitorum salivis esse credamus : Ac tametsi seriò
 celebretur nomen nostrum, vanitas tamen & præ-
 sumptio Spiritus est, ex Sapientissimi Regis censurâ.
 Scitur enim, quod homines simus & non possimus con-
 tra fortiorem in iudicio contendere : Verba nobis
 dantur, multam in disputando habentia vanitatem :
 omnis

Eccles. 6.

omnis labor hominis in ore ejus, sed anima ejus inde non implebitur; Quid enim habet amplius sapiens à stulto? & quid pauper, nisi ut pergat illuc ubi est vita? illic autem erit vita vitalis semperq; memorialis, ubi unicuiq; laus erit à Domino justè judicante. Huc huc *1. Cor. 4o* intendite animum juvenes, non ad lyricorum aut Satyricorum insulas laudes, aut injusta vituperia: his n. & laudare & vituperare perinde est, ut qui conducti plorant ad funera, vel gestiunt ad thalamos.

Huc stravit Vobis viam Augustinus, huc semitam præivit Hieronymus, huc pontem struxit Megalander noster Lutherus, huc deniq; is, cui suprema nunc facimus, PAULUS ROBERUS modestissimus pariter & Excell^{mus} Præsul. *Qui laudari vult ab hominibus, vituperante Te, non defendetur ab hominibus judicante Te, nec eripietur damnante Te.* Sunt verba sanctissimi Hipponensium Episcopi B. Augustini.

Quum autem laudatur homo propter aliquod donum, quod dedisti ei (ita pergit) & ille plus gaudet laudari se, quàm ipsum donum habere, unde laudetur; iste Te vituperante laudatur. Et melior est ille, qui laudavit, quàm iste qui laudatus est. Illi enim placuit in homine donum DEI: Huic amplius placuit donum hominis quàm DEI. Tentamur his tentationibus quotidie Domine, sine cessatione tentamur. Quotidiana fornax, est humana lingua. Imperas nobis & in hoc genere continentiam: Da quod jubes & jube quod vis.

Si verò laudabilis esse cupis, laudes hominum ne requiras: quia quamvis alicui facile fit laudem non curare dum negatur; est tamen difficile eâ non delectari cum offertur. Quæ verò hæc animi levitas est, relictâ propriâ conscientiâ, alienam opinionem sequi, eamq; non rarò fictam & simulatam? Rapi ventô falsæ laudationis, gaudere ad circumventionem suam, & illusionem pro beneficio

*X. Confess.
36, 37.*

ficio accipere? habet B. Hieronymi, vel potius Paulini Nolani Episcopi, ad Celantiam matronam parænesis.

Megalandri nostri Lutheri modestia non solum ex repudiatione galeri cardinalitii per legatum Minckewitium oblata, sed ex laudum quoque & encomiorum floccipensâ congerie universo Orbi innotuit. Facem illam seditionis Germanicæ, Thomam Müntzerum, Luthero epitheton *novi Pontificis* tribuisse, ridebat Lutherus; Magnâ, inquit, me injuria afficit Müntzerus: in Bibliis enim meis non didici gloriam & laudem nominis captare, sed contumeliam potius: Apud Ciceronem, Virgilium, Demosthenem talia quærat, non apud Apostolos Apostolorumve discipulos.

De beato D. Paulo Röbero pronunciare verissimè possum, atque ut opinor, reticere non oportet: quod à singularis modestiæ exemplo primum se mihi visendum & agnoscendum præbuerit, quod commemorabo deinceps, ubi primum vitæ stamen ab educatione, moribus & profectu, pro more, præfiscine tamen, retexuero. Hoc ut faventibus animis modestaque attentione excipiatis, Röberi vos pietas poscit atque obtestatur.

Natalium splendorem, delicatam & purpuratam educationem, nemo in Röbero nostro desideret. Patrem habuit pellionem, ingenuum ac bonum civem Wurcematem, Martinum Röberum, cui Synonymus filius, Dis Pauli natu major frater, in vicina urbe Hallensi, Mauritiano templo Antistitem, vitæ integritate & doctrinæ puritate nulli facile secundum non ita nuper dabat. Matrem Christinam claro etiam loco natam, ex Pastore videlicet Aulico Illustrum Baronum de Schönburg in Rosbach / Dn. Paulo Heldenio: Ac primæ quidem pueritiæ annos sub Præceptoribus oppidanis,

*De Cælest.
propb.*

*Serm. Convival. c. 22.
& 37.*

*Natales D.
Röberi.*

danis, parentum sumptu, tantâ alacritate compendifecit, ut duodecennis puer idoneus haberetur, cui gratuitus locus in illustri Gymnasio & Convictorio Portensi fieret. Nam & hoc plantarium, juxta cum aliis Scholis Illustribus, ex rubetis & dumetis Monachorum, pietas Avorum nostrorum construxit & exornavit, alterum in oppido Grimmensi, tertium in urbe Misena. Et in Portensi quidem Monasterio, loco Portarum, inferni portæ coeli positæ sunt. Hæ duæ mammillæ Robero nostro pietatis & bonæ eruditionis sincerum, lac instillarunt. Non inter delicias quidem & comestiones: His enim mater, viduata intereâ Viro, fomenta subdere nec cupiebat nec poterat, quemadmodum non pauci parentes suo sibi pabulo jumenta nutriunt; Sed inter preces, vigilias, lucubrationes, declarationes, aliâq; Scholasticæ juventutis agonistica, de quibus relata trophæa & præmia nobis aliquando solebat ostendere. Tantum enim abest, ut distentus esculentis & potulentis aqualiculus, inflatiq; ex domesticâ penu utres, quos indulgentiores matres filiis plærumq; veluti peras mendicantium ad collum appendere solent, ad profectum studiorum quicquam faciant, ut lixæ & calones nullâ mercede facilius conducantur, quàm demensi diurni frequentiore augmento & largitione. Si Stoicæ Philosophiæ sapientissimo Assertori Senecæ credimus, *plurimis ad eruditionem præcludunt viam divitiæ: usq; adeo, ut si animo vacare velis, vel pauperem, vel pauperi similem Te esse oporteat.* Si Deorum ellogio Græcorum sapientissimum Socratem audimus, optimum non solum cibi condimentum, sed etiam studiorum nutrimentum dixit esse famem. Si Venusino Poëtæ fides adhibenda est de seipso testanti:

B

Et

*Et laris & fundi paupertas impulit audax
ut versus facerem.*

Et quid multis? Friderici Imperatoris privilegium, quo studiosorum ordinem condecoravit, Palladium illud Authenticæ, *Habita, Cod. Ne filius pro patre, paupertatem studentium tanquam conditionem sine qua non, fruendi Cæsareo isthoc privilegio disertis verbis requirit: nempe, ut fiant ex divitibus pauperes, ex civibus peregrini, qui favorem & clementiam Cæsarum percepturi sunt. Profecto luridum & horridum stomachum eructant, qui Viris in pueritia famem passis, doctrinæ solidæ atq; eruditionis opinionem ideo detrahtam cupiunt, quod ad ingenium excolendum facultates defuisse videantur. Ubi est vetus illud, quod pueri in trivii cantillabamus?*

Multa tulit fecitq; puer, sudavit & alfit:

Abstulit Venere & Baccho qui Pythia cantat.

Crede mihi Therista, inter pernarum pestes & lardorū labes nemo ex sapientibus Græciæ, nemo ex priscis Ecclesiæ Doctoribus adolevit.

B. Hieronymus Nepotiano formam discendi & docendi præscripturus, suo opte exemplo Clericum instruit; *Ignominiam esse sacrarum literarum Studioso, genera & nomina piscium nosse, callere in quo littore concha lecta sit, saporibus avium provincias discernere. Natus (inquit) in paupere domo & tugurio rusticano, qui vix milio & cibario panis rugientem saturare ventrem poteram, nunc simillam & mella fastidio.*

Salomon Gesnerus lingvarum peritiâ disciplinarum Philosophicarum exquisitâ scientiâ, & cum primis Theologicæ eruditionis laude celeberrimus in Acad. Wittebergensi Professor, panem non modo ex havena, hordeo, glandibus pistum, sed mere etiam furfuraceum
latranti

latranti Stomacho aliquando objicere necessum habuit, uti in encomio ejus funebri *Leonhardus Hutternus*, gravis armaturæ miles commemorat. Quo loco Lutherum ipsum habebimus? nunquid implicitâ fide credendum erit, Eum fuisse virum doctum? Explicitâ a. fide tenendum, quòd ad solidæ eruditionis culmen aspirare non potuerit, quia Isenaci panem propter Deum conquisivit. ? uti ipse inter præcipua encomia divinæ erga se beneficentiæ hanc egestatem suam ponit, in aureo libello ad Lazarum Spenglerum Archigrammatæum Noricum: *Das man die Kinder zur Schulen halten solle? Ich bin / ait, auch ein Parthecken-Hengst gewesen / und habe das Brod für den Häusern genommen / sonderlich zu Eisenach in meiner lieben Stadt / und bin dennoch durch die Schreibfeder so fern kommen / daß ich ist nicht wolt mit dem Türckischen Keyser beuten / daß ich sein Gut solt haben / und meiner Kunst entpehren. Ja ich wolt der Welt Gut / vielmal gehäufft / nicht dafür nehmen / etc. Darumb verachte mir die Gesellen nicht / die für der Thür panem propter Deum sagen / und den Brod-reigen singen / Gott wills nicht haben / daß gebohrne Könige / Fürsten / Herren und Adel sollen alleine regieren / und Herren seyn / Er will auch seine Bettler dabey haben: Sie dächten sonst / die Edelgebart machete allein Herren und Regenten / und nicht Gott alleine. Multaq; alia egregie & lineis aureis illustranda, licebat ex Sermone illo in hanc rem decerpere. Quid commemorem de seculi hominibus, Agathoclis Siculi Regis natales egenamq; puertiam? quam vasorum fictilium inter pompas regias prælato usu coronatam fuisse Plutarchus, Valerius Maximus, Justinus, gravissimiq; Scriptores alii contestantur? Quis nescit Imperatoris Cyri parentem juxta cum filio pastoritiam exercuisse? Quis Tullum Hostilium, in*

Tom. V. Jen.
Germ.

Diod. Sic.
l. 17.

Excellentissimo Majestatis Romanæ fastigio fulgentem, agresti tugurio natum, adolescentiam suam in pecore, pascendo exegisse? Quis Ballonymum mercede aquam de puteo trahentem, è vestigio ad thronum regium, Monarchiæ persicæ per Ephæstionem Alexandri Magni ministrum fuisse erectum? Quis Augusto Cæsari pro avum Restionem, avum Argentarium à Marco Antonio pro concione objectos legat & non indignetur? Quis Terentium Varronem, ex Macellariâ tabernâ; Æmilium Scaurum de carbonaria, Porcium Catonem ex Tusculana villâ ad clavum Imperii Romani conscendisse ignorat? Taceo Vespasianos, Pertinaces, Severos, Macrinos, Aurelianos, Diocletianos, Maximinos, Galerios, Licinios, Philippos, Valentinianos, Marcianos, Mauricios, Leones, Romanos Cæsares, non obscuro solum & humili loco natos, sed primis adolescentiæ annis durissima passos, quorum excelsa, indoles nunquam sese tam splendide exseruisset, nisi incumbens duræ egestatis pondus ad renitendum eos provocasset.

Sed ut ad eos redeamus, qui cum egestate confluentes, ingenium ad durissimæ indigentiae cotem exacerunt, eccui ignotum est, Æschinem pariter ac Demosthenem clarissimos Græcorum Oratores juxta ac Principes, illum quidem inope abjectoq; Patre, hunc verò cultellorum fabello natos, ad summam eruditionem pervenisse?

Quem paulò doctiorem fugit, quòd Aristophanes Tragicorum Poetarum Princeps æmulo suo Euripidi incertam matrem, ne olerum quidem, sed scandieum, i. e. spurii oleris venditricem objectet? Tyranni Philosophi, propter divinam eloquentiam Theophrasti encomio

in-

in signiti, parentem tenuissimi Iaris fullonem, Pythagoræ Samii Patrem annulorum sculptorem, abjectæ fortis alumnus fuisse, Diogenes Laertius, Clarissimus testis perhibet. Sixtum primum Romanum Pontificem eumq; Martyrem, pastoritiam exercuisse sub parente opilione, Pontificalis liber Damasi, & qui vitas Pontificum inde transcripserunt, Anastasius Bibliothecarius, Luitprandus, Baptista Platina, aliiq; attestantur. Joannem XXII. Romanum Pontificem cerdone genitum: Sixtum quartum Pontificem Navicularii filium, ejusq; successorem Innocentium VIII. ab incunte ætate coactum fuisse ob paupertatem famulari, famulandoq; victum sibi comparasse, eodem Platinâ & Volaterrano testibus didicimus. Sixtum Quintum in Antro & caverna Montis alti natum, tantâ cum penuria rerum, necessariorum primæ ætatis annos condidisse, ut Pontifex creatus humilitatem status sui descripturus per jocum dicere solitus fuerit: Nimis illustri sese loco natum esse, cui cœlestes digiti vitreas construxerint, & Lumina accenderint. Solis videlicet & stellarum luminaria. Et hos tamen inter seqvioris ætatis Romanos Præsules Doctissimos, & tum sacræ paginæ, tum juris utriusq; Doctores Publice renunciatos fuisse constat.

At quorsum ego soli facem? etiam pueris & qui nondum ære lavantur dudum innotuit, Villegisi, primi inter Archipræsules Moguntinos Electoris patrem Rusticum, eumq; plaustrarium, dedisse utriq; & quidem summæ in Romano Imperio dignitati Rotam pro insigni, cum Præfulatus tum præminentia Electoralis Moguntinæ.

Perlustramus autem Romani Imperatoris curias, Ducum Electorum, aliorumq; Principum aulas, inquiramus

ramus in natales, fortunas & educationem præcipuo-
rum Antistitum in utraq; Rep. tam sacrâ quàm civili;
l. d. fol. 182. Lutheri effatum: Armer Leute Kinder müssen die Welt
regieren.

Quemadmodum igitur generosos Alexandri mili-
tes, etsi pannis obsitos Persarum pictæ chlamides tin-
ctæq; murice vestes adeò non terrebant, ut accenderent
magis, eosq; armarent in trabeatas tunicas, & ad cristas
ignavis Persarum cervicibus detrahendas; Ita Lar tenuis
& frigus domi focus impulerunt Roberum nostrum
ad pertentandum Virtutis arduum callem, eaq; per in-
genii sollertiam audenda, quæ alii fastidiunt, alii igno-
rant, alii desperant.

Generosioris arboris planta cum fructu: Itaque
quamprimum diligentia Præceptorum Portensium,
prolii generosus Roberi animus cæpisset, mox prodere
se atq; eminere inter alios cæpit, ut celerior pariter atq;
expeditior in reddendo esset, quàm illi in exigendo.
Favos per integrum sexennium in hoc arboreto fecerat,
quum gratuito alio Electorali subsidio adjutus in hanc
Lipsiensem Academiam provolaret, & sesquianno inter
hoc Tilieta exacto, Leucoreos inter Wittebergensium
flores sertum sibi nectendum decerneret. Atque hinc
explicari demum & in lucem prodire Roberi eruditio
cæpit. Si floridæ Orationis campum, Tullianâ facun-
diâ luxuriantem desiderares, aperiebat: Si subductum
& sententiosum dicendi genus, quod Symmachi, Ta-
citi aut Senecæ cum gravitatem tum parvitatem referret;
assentiebat: si lyricam aut Tragicam oden appeteres,
dabat: Si delectaret Ovidiana facilitas, fundebat non
stillabat versus: Si Martiales aut Owenianos sales siti-
res,

res, habebat in numerato quos spargeret: Si numerorum mysteria & proportionum delicias investigares, exponebat: Si ponderum mensurarumque incerta compendio sistere & definire juberet, sistebat: Si de siderum motu, ortu, occasu, Chronico, Heliaco, de Chronocratore, de meteororum & chasmatum causis interrogares, explicabat: Neque Chaldaicæ artis & Genethliacarum indaginum imperitum deprehendisses, etsi in his figmentis, ad quæstum potius quam veri rationem compositis, nihil laudis aut studii poneret. Coelum clam ipso certè non movebat, nec quicquam ferebat tellus, cujus ille natales, situm, primas qualitates, atque usum ignoraret. Imprimis autem Musica, tum vocali tum organicâ impensè delectabatur. Musicâ, quam B. Lutherus in expositione supremorum verborum Davidis, optimum humanæ miseriæ condimentum, prægustum cœlestis gaudii, conversationem angelicam, & philtum æternæ beatitudinis salutare non dubitavit: Quamque in Symposiis suis tot encomiis ornavit, ut post cognitionem de DEO, cæteris disciplinis omnibus eam prætulerit, tanquam formatricem & expolitricem morum, quæque animos hominum ad quævis vitæ munia modestè capeffenda ac prudenter obeunda præpararet. Pollicem videlicet Platoni premens, qui Tertio de legibus jussit, pueros primo omnium docendos esse Musicam, & per eam Ethicam bonosque mores. Sirachides sanè inter amuleta & monilia priscae sanctitatis etiam Organicæ Musicæ cultum numerat, cap. XLIV. ne Davidis Citharœdi laudibus detraxisse, aut peritiam hanc vilius pependisse videretur, censente B. Augustino in illud Psalmi LVII. *Exurge Psalterium & Cithara; Ne sola μέλη cantillantium, nec sola ἔπη scribentium,*

tium, munus omne priscae Musicae absolvisse viderentur, sed ad perfectionem Musicae Tibiam quoque & Psalterium requisita fuisse conitaret. Juxta ejusdem Siracidae declarationem Cap. XL, 21: *Fistula & Psalterium Nyssenus in edulcant Melodiam*. Quum Gregorius Nyssenus Musicae Orat. funeb. & Poeticae peritiam in Basilio Magno laudaturus esset, Basil. Theod. vocat eum *philemelam aureae melodiae*. Ephron Syrum dor. l. 4. c. Theodoretus *Sonam Spiritus Sancti lyram* appellat, quod in locum impiorum Harmonii carminum, quos lyrâ cantabant Syri, metra alia ad normam lyrae composuisset, quae Syriaca Ecclesia hodieque frequentet, Theodoreto & Sozomeno testibus. Dionysium Areopagitam B. Chrysostomus in Oratione peculiari, quam de falsis Prophetis declamavit, *volucrem Caeli* appellavit. Athanasium Gregor. Nazianz. non praecone solum, sed etiam *Tubam veritatis caelestis* consalutat. Quantum ad cicurandum effrenem & asperum ex Manetis impietate B. Augustini animum Musicae cantus attulerit, audiamus confitentem aut lachrymantem potius Augustinum ipsum, IX. Confess. *Quas Tibi tunc Domine voces dabam in Psalmis illis, quomodo in Te inflammabar ex illis?* Iterum lib. X. *In sonis, quos animant eloquia tua, cum suavi & artificiosa voce cantantur, fateor aliquantulum acquiesco: Cum reminiscor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiae tuae in primordiis recuperatae fidei meae etiam nunc moveor.* Credamus Alexandrino Clementi, quem Hieronymus virum illustrem, plenum eruditionis ac sapientiae censuit, *Ecclesiae Hymnos & Cantica Orphei & Amphionis cantui vel hoc nomine praefereandos esse, quod illi quidem saxa & lapides traxisse hominesque in Truncos convertisse fingantur, Coelestis vero Cantor Christus svavisonis Ecclesiae canticis, truculentissimas feras mansuefaciat, Vide* inquit

Clem. in exhort. ad gentes.

inquit, quantum possit hoc novum canticum? Homines facit ex lapidibus, & Angelos facit ex feris.

Hiscæ naturæ & industriæ suæ ornamentis quum à Cōmilitonibus passim laudaretur, ROBERUS, ROBERUS, & speciminibus editis per integri novennii cursum Distributoribus publicorum in Academia Wittebergensi præmiorum inclaruisset, quid mirum, quod inter Magisterialis tiaræ Competitores Triginta & duos, ingenio & eruditione Commilitones suos præcellentem Robertum prætulerint, quem non pileus aut annulus, non faces ad Solem accensæ, non horridus tarantaræ strepitus, (uti Satyricus fugillat,) indoctæ plebi ostenderet, sed quem juxta cum eruditione pietas, & cum pietate singularis in inveniendis facilitas, in dicendo gravitas, in docendo felicitas commendabant? Non solum enim Roberianæ industriæ privata specimina Procerum Academicorum vocibus ferebantur, quorum liberos ad pietatis & eruditionis fontes hauriendos manu-ducebat, sed templa quoque & ædes sacræ Roberiani tonitruum voce personabant, ut calculo omnium designaretur Episcopus, antequam ipse de infulâ cogitaret.

Quomodo, Quod de Magno Athanasio perhibet Hieronymus, vaticinis populorum suffragiis postulatum fuisse Episcopum, antequam de Lectoris statu cogitasset. Nec mora, neque integrum labebatur triennium, quin Amplissimus Senatus Hallensis, qui inde ab Origine instauratæ puritatis Evangelicæ, delectu Clarissimorum à Germaniâ Doctorum salinas suas consecravit, Decus hoc Viri Ecclesiæ suæ conciliandum studeret, idque à Serenissimo clientis sui Patrono, Duce Electore Saxonie commodatum acciperet & impetraret.

C

At

At sicuti de Athanasio in suam civitatem cooptando
 Cæsareenses, Antiocheni & Alexandrini decertabant:
 Sicuti de Gregorio Nazianzeno contendebat Sasinum
 Bizantium & Nazianzum, de Marcello Ancyrano
 Ægyptii, Afri & Asiani: Ita de Robero nostro inter
 hæc Christiani Orbis Lumina non immerito numeran-
 do, Serenissimorum Ducum, Episcoporum, Rerum-
 publ. atq; Urbium vota quasi confligebant. Hallensi-
 bus enim quamprimum operam addixisset, mox
 Wurcenses civem suum vindicare, eumq; ad thronum,
 quem celeberrimus Theologus D. Wolfgangus Mam-
 phrasius cum cœlesti sede commutarat, invitare.
 Obniti è vestigio atq; obluetari Serenissimus Admini-
 strator Archipræsulatus Magdeburgici, Roberumq; ve-
 nostrum inter aulicos Sacerdotes præcipuo loco ponere.
 Cujus autoritas tunc quidem Wurcenatas vela flectere,
 & exclusam in colle suo Jovis alitem dimittere coegit.
 Erat enim in decretis cœli, ut hæc Aquila Solis Orche-
 stram propius aspiceret & circumiret. Itaq; cum Solis
 Magdeburgici jubar bellorum nebulis & nimbis invol-
 veretur, non permisit tamen Olympi Reetor, ut sive
 ad meridiem vocitantes Roberum Argentinales, sive
 ad Magneticum littus trahentes Rostochienses, fulgen-
 tissimum hoc sidus ab Horizonte Saxonico divellerent,
 sed vicini Perigæi nubeculis tantisper illud involvi
 permisit, donec prælustre illud Meisneri Lumen Ro-
 beriano locum faceret, & caduceatoris suscipere mu-
 nus, cuius ductu jam olim designatus huic Provinciæ
 Ephorus, D. Paulus Roberus in illustrem Wittebergen-
 sem Speculam collocaretur, postquam Archipræsulis
 & Primatis Germanici aulam totis decem annis illu-
 strasset.

Atq;

Atq; hic mihi insignis modestiæ exemplum in Robero observandum venit, quod juxta cum aliis divinæ providentiæ arcanis mirari sæpe soleo. Recenti enim & satis fidâ memoriâ circumfero, quod anno M DC XXVI. die XVI. Junii, B^o Præceptoribus meis, Dno D^{ri} Frederico Balduino, & Dn. D. Balthasari Meisnero, quibus ad Disputationem publicè habendam tunc socius ibam Roberus in plateâ obviam factus & amicè salutatus, Dn. Balduino de corporis sui ægitudine & fatalis horæ prænunciis sermonem conferenti Roberumq; è vicino exilio, quod tunc agebat, in Academiam Wittebergensem brevi rediturum prædicenti, & Successorem ad eò suum digito qs. designanti, modesto verecundiq; oris habitu responderit: Se in Matrem suam, Wittebergensem Academiam, tam injuriosum non fore, ut speret optetvè in sphæram tam splendorum Luminarium se, qui vix nebulosæ stellæ locum tueatur, aliquando surrogatum iri. At his modestiæ alis mox insequentij anno, in thronum B. Balduini sublatus est, Et magnus factus in oculis Ecclesiæ, qui parvus erat in suis.

Quum enim divinæ Providentiæ visum esset, post translatum ex illâ navi proretam, Dn. Meisnerum, etiam Governatorem ipsum Dn. D. Balduinum intra quadrimestre spacium de provincia revocare, non nisi metatoris partes eundo suscepisse videbatur B. Meisnerus, neq; aliud intendisse, quàm ut uni ROBERO & Orontis & Palinuri classis crederetur, quemadmodum in unum Augustinum & Valerii Hipponensis, & Optati Tagastensis sollicitudo devolvebatur.

Quantam verò sedulitatem in gubernandâ hac navi, quantam sollicitudinem in conservanda, quot

conflictus in defendenda sustinuerit, nemo capiet facile aut assequetur, nisi mentis oculos ad Tempestates illas reflexerit, quæ Wittebergam, totumque vicinum tractum, inspectioni & gubernationi Roberi nostri commissum, per integros XVIII. annos subigebant, & tantum non evertabant. Potissimam civitatis partem Studiosi literarum illic faciunt, plerique inter lituos & tubas, inter hyberna & æstiva sagatorum militum hospitia, tabernas & popinas inter, flagrante hoc tricennali bello Germanico educati, pessimis haut pauci moribus imbuti, antequam ad Academiam mittantur.

In Urbe ipsâ, vallis & propugnaculis munitâ, multoque militis præsidio instructâ, ambigebant Aretinum & Laurigerum thyrsifer, Ensifer & furcifer, & quod de pravis moribus glebæ adhærescere videbatur, penitus inoccabant. Accedebat stulta persuasio de privilegiis Academicis, tanquam Schola susceptos in Matriculam suam exemisse, pariter à Jurisdictione Ecclesiasticâ, ne corriperentur aut corrigerentur à plebano, qui viribus tamen centurionum, præsidiariorum hastis & gregarii militis contis non raro tangebantur: Ut viri etiam fortissimi patientiam unius opidi gubernatio expugnare potuisset; Jam si cæterorum per tractum illum, quem Electoralem circulum appellant, Ephorum, Pastorum, Ludimagistrorum, Viduarum, Orphanorum, Nobilium, Civium, Rusticorum, peregrinorum & pauperum, desideria, curas, lamenta & lacrymas, in unius Roberi finum effusas cogitaveris, si villarum, Opidorum, templorum & Scholarum incendia, quorum sæpe dena, quindena, vicena de tectis nostris unâ die spectabamus, si lanienas civium, si Pastorum ante sacra altaria mactationes, atque in ipso ambone sacro confossiones & præcipitia,

cipitia, si supra matronarum & virginum, si cruces, *Victor. lib. I.*
 eqvuleos, rotas, crates, funes, cænum & lotia Svedica, *haut longe*
 quorum ingurgitatione supini nutritores suffocabantur, *ab inuit. Aliis*
 (qvalia etiam Socrates, Ammianus Marcellinus, & *palorū vecli-*
 Victor Uticensis inter arma Gothica retulerunt) si, in- *bus om̄ rese-*
 quam, hæc omnia in cumulum congesta, ante oculos, *rantes, foeti-*
 ante pedes, in mensa, in thoro, in ipsis Roberi cervicibus *dum faucibꝫ*
 posita vidisses, miserosqve talia passos per amorem, *ingerebant.*
 Christi, per futuræ resurrectionis spem, opem auxilium- *Nonnullos in*
 qve poscere audisses, quid animi esse diceres pio An- *frontibus &*
 tistiti, fidoq; gregis sui Pastori, talia cernenti, audienti *tibiis, nervis*
 & manibus quasi palpanti. At magni Regis Legato pro *remugiētibus*
 sens in adversis erat animus. Recordor, quum Gothica *torquebant.*
 manus propugnaculum Wittebergense ultra fluentem *Aliis aquam*
 Albim situm interceptisset, pilasq; ferreas in urbem ja- *marinā, Aliis*
 cularetur: Cis Albim verò Lesleius Scotus & Stallan- *acetū, amur-*
 sus Gothus com meatum omnem intercluderent: intra *cam, liqva-*
 Urbem ipsam præfidiarius miles, ad bis millena capita *menq; & a-*
 surgens, juxta cum incolis contagiosâ lue perimi cæ- *liamulta atq;*
 pisset: Cæsarianæ autem & Bavaricæ legiones, sub Du- *crudelia, tā-*
 cibus Marazino & Gallo in suburbia se recepissent, *quam utriq;*
 exhibito Commissariis Electoralibus mandato, ut ur- *imbutis ori*
 gente necessitate intra mœnia reciperentur: Et nobis *imposita sine*
 quidem de Scholâ hominibus omnem illi cognoscendi, *miseriordia*
 finiendiq; de necessitatis articulo facultatem denega- *porrigebant.*
 rent, quin potius illico intromitti peterent, Dn. Rôbe- *Nō infirmior*
 rum, isthæc in Concilio Professorum me referre audien- *sexus, non*
 tem, animosâ pietate respondisse: Scio, DEUM non *consideratio*
 permissurum, ut istis necesse habeamus Defensoribus. *nobilitatis,*
 Itaq; resiste, insit ad me, susceptioni illorum: Defen- *non reveren-*
 dant suum Ingolstadtium. Et comprobavit sanè even- *tia Sacerdo-*
 tus, hoc præstitisse Roberum illâ tempestate suis Witte- *tum crudeles*
 ber- *animos miti-*
 gabat &c.

bergensibus, quod obsessis à Sanheribo Jerosolymis
 Propheta Esaias, quod impetitis ab Attila Trecañibus
 Lupus Episcopus præstiterunt. Bⁿ quidem Augusti-
 num hoc precibus à Deo impetrasse meminimus, ut post
 trimestrem Hipponæ obsidionem, ipse ex hac vitâ evo-
 caretur, factam autem Gothorum, Alanorum, & Van-
 dalorum manum dissolvere non poterat, ne post ejus
 obitum dilapsis civibus & præsidario milite, Hippona
 ab hoste caperetur & concremaretur, sic perhibente
 Possidonio: Roberus autem noster, etsi hoc cum Augu-
 stiniano fato commune habebat, quod ex innumerabi-
 libus sui Episcopatus Ecclesiis, vix tres ab incendio
 superstites videret, Wittebergensem, Torgensem &
 Kembergensem, quemadmodum B. Augustinus ex
 innumerabilibus totius Africae Ecclesiis, utor Possidonii
 verbis, vix tres vidit superstites, Carthaginensem, Hip-
 ponensem & Cirtensem; Tanto gratiorem tamen Deo
 immortalis se fuisse ostendit, quod pacem Romano
 Imperio ab iisdem Gothis redditam & vidit ipse, atq;
 in Ecclesia psallentium pacis Principi Christo chorum
 lætus duxit; quod B. Augustino concessum non est, quin
 potius mox ab ejus obitu superstites Tres Ecclesiæ, Car-
 thaginensis, Hipponensis & Cirtensis penitus vasta-
 rentur, idemq; furor Gothos ageret per sequens inte-
 grum sesquiseculum, ut nulli sexui, nulli ætati, non
 Sacerdotibus & ministris DEI, non ipsis Ecclesiarum
 Sacramentis, non ornamentis parcerent. Quod Hie-
 ronymus in Epitaphio Paulæ, in Commentariorum
 libris ad Ezechielis Vaticinia, nec non citatus paulo
 ante Possidonium, & copiosissime omnium Victor Uti-
 censis Episcopus, Tribus de persecutione Vandamica
 conscriptis libris attestantur. Sane Uticenses Threni de
 vasta

vastatione nobilissimæ Carthaginensis Ecclesiæ, sine
 threnis legi haut possunt. Excipiam pace vestra, ex pe-
 lago lacrymarum pauculas quasdam guttas: Post hæc
 inquit, erucis impietatis insanias ipsam urbem maximam Car-
 thaginem Gensericus tenuit. Et antiquam illam, ingenuam, ac no-
 bilem libertatem in servitutem redegit. Episcopum Quodvult Deum
 & maximam Clericorum turbam navibus fractis impositam, nudos
 atq; spoliatos expelli iussit; Reliquos ad quingentos Clericos alios
 aquâ, alios gladio, alios fame interemit. In tantum se devastans
 vindicavit famæ dominium, ut loca nonnulla & admodum populosa
 habitatoribus extinctis, alto nunc silentio, parietibus solum extan-
 tibus, conquiescant. Audite hæc omnes qui Barbaros diligitis, &
 eos in condemnationem Vestram aliquando laudatis. Discutite no-
 men, & intelligite mores. Nunquid alio proprio nomine vocitari po-
 terant, nisi ut Barbari dicerentur, ferocitatis utiq; crudelitatis &
 terroris vocabulum possidentes. Quos quantiscunq; muneribus
 foveris, quantiscunq; delinieris obsequiis, illi aliud nesciunt nisi
 invidere Romanis, & quantum attinet ad eorum voluntatem,
 semper cupiunt splendorem & genus Romani nominis nebulare, nec
 ullum Romanorum omnino desiderant vivere. Hæc Afrorum
 ille Episcopus. Taceo quotidianas incurvationes exulum
 & egenorum, interpellationes ab amicis & peregrinis
 tam per literas eminus, quam per voces cominus, inter-
 rogationes & consultationes per scripta & nuncios, quæ
 ad Roberum, tanquam ad communem orthodoxæ Ec-
 clesiæ Patrem deferebantur, ne & iste character Apo-
 stolico huic Viro deesset, quem Gentium Apostolus
 καὶ θημέριον ἐπισύσασιν, quotidianam instantiam, quoti- II. Cor. XI.
 die irruens novarum curarum agmen, quotidianos in-
 cursus & sollicitudinem pro omnibus Ecclesiis appella-
 vit.

Lib. II.

Lib. 3. sub
fin.

Facun-

Hieron. ad
Nepot.

Eccl. XII.

Tit. 1, 9.

Facundiam deniq; viri, & in dicendo *πειθανάγην* quotusquisque in aures unquam admisit, quin animus ipse compungeretur, & ad melioris vitæ institutum flecteretur? Hoc videlicet operam dabat, non ut inani sono laquearia remugirent, aut clamor populi suscitaretur, sed gemitus. Lacrymæ Auditorum laudem Doctoris in coelum vehebant. Sermones clavis trabalibus figebat, acuminatis in cœlesti incude, & penetrantibus usq; ad divisionem animæ & Spiritus, ultra quos nullos alios requiras ex Salomonis præscripto. Salomoneum myrothecion meros exhalasse nardos diceres, quoties coctos sub pectore sermones tereti dulcissimoq; ore promebat. Etiam prandens, semper aliquid divini mysterii secum mussitabat, & veluti divinâ virgulâ tactus mox ad hunc mox illum scriptorē consulendū de mensâ provolabat, ut quæ mente conceperat illico in chartas conjiceret genium fraudans, ut ingenium locupletaret, & legeret, quæ cives, cum Academici tum opidani avidis auribus excipiebant. Masticanti cibum mox nascebatur carmen, & veluti ex interclusâ fistulâ non manabat in chartam sed erumpebat. Testamur compransi de iis quæ vidimus. Doctrinæ genus sectabatur purum, simplex, & utile ad docendum, ad arguendum, ad exhortandum in justitia, defecatum à fermento veteris corruptelæ Papalis, purum ab aceto lixivii Calvinistici. Tenax erat fidelis sermonis & veræ doctrinæ, qualem decebat esse Titum genuinum Apostoli filium, Profanas tam vocum quam dogmatum novitates execrabatur. Imprimis musteum illud crama omnium sectarum in unum Lebetem, cui Encomium universalis Ecclesiæ hodie præscribitur vehementi zelo de utraque Cathedra damnabat: Et piaculi loco ductabat, præcepto

ceptorum suorum flagellatoribus aurim præbere, vel tantillum ab ejus doctrinæ puritate, quam ex Præceptoribus imbiberat, deflectere.

Conjugii & susceptæ elocataeque prolis felicitas, etsi omninò mereatur, ut tanquam singulare divinæ benedictionis exemplum celebretur & commendetur, jubet me tamen clepsydra de suggesto ad feretrum descendere. Stat Roberus noster, stat cum maximè Reverendo Genero suo, Magnifico Dn. D. Wellero, in sublimi harum provinciarum specula, & occentat uterque Bonarum literarum alumnis Vergilianum illud:

Disce puer virtutem ex me, variosque labores
addamus: Spera & virtutis honores:

Itaque ut divinus ille luctator Jacobus admonendo vincendoque peregrinationi suæ finem fecit; uti Theander Lutherus componendis, ad quæ vocabatur; negotiis intentus, mortem sibi accivit; Sic Palæstrita noster, stans in acie, & cursum, quem supernus Agonotheta præscripserat, strenuè pergens, ab institutione Gommerensis Ephori prope Magdeburgum, & compositione negotiorum Ecclesiasticorum illius diœceseos, sub exitum anni superioris MDIIL. domum reversurus, ex inclementiâ brumalis frigoris, raucumque mugitantis Aquilonis tantum squaloris in oculos & caput totum attraxit, quo non solum oculorum acies hebetabatur, sed ipsa quoque rationis Arx velut obsidebatur, ut explicare copias non posset, quæ hætenus tot Triumphos de impietate & pravâ doctrinâ retulerant, quot conflictus ore, calamove susceperant. Interea enim dum Medici aditum ad circumvallatam arcem aperire tentabant, accidit optimo feni & climactericum magnum jam supergresso, quod Philippus Melanchthon, de præcessore Roberi
D nostri,

Tom. 3. De-
clam. Phi-
lippi & Ca-
mer. in vita
Melanchth.

nostri, D. Johanne Bugenhagio Seniore dicebat: *Se-
maximè turbari simulacro prioris Viri, ad quascumq; res gerendas
nuper tam alacris, Deumq; saepe deprecari, ne tali senectuti serva-
retur.* Nihil tamen insolens huic ætati accidit, aut quod
obtrectatio vindictæ & Nemesis divinæ in Roberum de-
signatæ, ullo veri colore transcribere queat: ac si hoc
memoriæ deliquium pati Roberum oportuerit, quod
sectariis passim omnibus eum locum censumq; in San-
ctorum communione tribuere detrectarit, qui Christi
membris & cohæredibus præsentis gratiæ ac futuræ glo-
riæ debetur; Quod sanè tam geminum vero est, ac Gre-
gorium Magnum Pontificem, Trajani Imperatoris ex
inferno redemptionem podagræ receptis doloribus luisse.
*Omnes pæne virtutes corporis mutantur in senibus, & cuncta quæ
per corpus exercentur, fracto corpore minima fiunt,* scribebat ad
juvenem Nepotianum Hieronymus, *jam cano capite, &
aratâ rugis fronte, & instar boum pendentibus à mento palcaribus
incedens, cum frigidus obstaret circum præcordia sanguis.* Quis
nescit, Antoninum Caracallam, Imperatorem & Philo-
sophum doctissimum, Messalam Corvinum, Oratorem
& Augusti Cæsaris Encomiastem disertissimum, Geor-
gium Trapezontium Philosophum, Rhetorem, Astro-
logum & Criticum celeberrimum, cui non pauca Græ-
corum Patrum monumenta latinitate donata debemus,
Franciscum Barbarum, patricium Venetum, Græcarum
literarum & Philosophiæ doctrinâ Clarissimum Virum,
ipsumq; Orbilium Grammaticum tantum in Senectute
fecisse memoriæ dispendium, ut pars nominis sui, pars
servorum & familiarium, quibus præsentibus utebantur,
fuerint obliti? Quis Dn. D. Wolffgango Franzio, quis D.
Nicolao Hunnio innocentissimis Theologis, surrepens
in declivi ætate memoriæ deliquium, tanquam divinæ
Nes-

Nemeseos ictū unquam exprobravit? Quis Davidi Pareo
Professori Theologo Heidelbergensi, quis Johanni
Goddæo JCro Marpurgensi, quis Rudolpho Godenio,
aliisq; etiam nostrā ætate idem evenisse ignorat? Quem
fugit, ipsum Georgium Majorem, Turbatorum Ecclesiæ
DEI Antesignanum, integris tribus annis ante obitum,
rebus agendis imparem & ineptum lecto decubuisse?
Eccui ipsius Heshufii dilucida intervalla incognita
sunt? Et quis deniq; ignorat, alteri obtrektorum fata-
lem horam tam subito supervenisse, ut obiret, antequam
de morbo proximis etiam vicinis innotesceret? Super-
rante tamen Robero & vidente detractoris sui funera.
Quamquam & ipsi Momo meliorem è coelo mentem, &
hujus etiam prævaricationis poenitudinem subiisse spe-
ramus & optamus. Saltem commonefacere debebat,
præcuculos nostros, velocior ille Complicis sui casus,
ut ad Salomonæam Sapientiā posthac animū attendant
diligentius: *Cum ceciderit inimicus Tuus ne gaudeas, & in ruina
ejus ne exultet cor Tuum, Ne forte videat Dominus & displiceat
ei, & avertat ab eo iram suam, in Te scil. uti ex Ebræâ indo-*
le Lyra & Vatablus colligunt.

Prov. 24.

17.

*Nescia mens hominum fati, fortisq; futura est:
Turno tempus erit, magno cum optaverit emptum
Intactum Pallanta.*

Roberus autem noster talis inter nos vixit, quales nos
vivere volebat, scil. quos nunquam puderet vivere.
Nihil enim frequentius inculcabat, & quod vel quin-
quagies ex ipso audisse memini, quàm illud Ambrosii,
ad quod etiam B. Augustinus, vitæ hujus stationem de-
ferturus, & vitæ & mortis suæ rationem componebat:
*Non sic inter vos vixi, ut me pudeat vivere, sed nec mori timeo,
quia Bonum Dominum habemus.* Quæ verba & noster senex
tanquam eliminata & librata, frequenter admirabatur ac
lau-

laudabat, tanquā ideò prolata ab Ambrosio, se mortem non timere, quia bonum Dominum habemus, ne crederetur præfidens de suis purgatissimis moribus præsumpsisse. De vitæ a. innocentia dixisse: Non sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere, ad exploranda concivium suorum suffragia, & excutiendum id, quod homines de homine nosse poterant. Doctrinæ sanæ, salubris ac publicæ, quin & eleemosynarum, charitatis, patientiæ, & continentiæ plura eaq; evidentiora monumenta statuit, ac quisquam æmulum, & putrescente malorum memoriâ, laus ejus virebit in Ecclesia DEI:

Quod livor memori nunquam miser eximet ævo,
Perpetuo florens tempore nomen erit.

Finivit tertiâ & X. Kal. Aprilis hujus anni, cō mortis genere, quod ipse frequentissime solebat optare, idq; *euδavaσίας* encomio insignire; Sed corrigere tamen & emendare Augusti Cæsaris simile *euδavaσίας* votum, eò quòd hoc quidem solâ velocitate luctæ, nullo a. solatio perennis victoriæ constitisset; Se verò aliam in votis habere *euδavaσίαν*, nempe quæ nullam mortis formidinē morituro objiceret, quæ citò finiret, & in perpetua gaudia solveretur. Inter quæ Collega noster lætus nunc ovat, hoc uno desiderio suo nondū potitus, ut & corporis sui exuvias, & Nos, quos desideratissimos in hoc æquore commilitones reliquit, in illo perpetuæ tranquillitatis portu conjunctos videat & complectatur.

Vobis a. Magn. Dn. Rector, Generosissime Comes, Auditores omnium Ordinum honoratissimi, superstes Vidua & hæredes meis verbis amplissimas gratias dicunt, quod doloris sui partem in vos recipere dignati estis. Atq; uti Deum in vota cient, ne quenquam Vestrum in luctum conjiciat: ita recipiunt, se omni officiorum genere benevolentiam hanc Vestram & agnituros & de-
prædicaturos esse.

DE

DECANUS
COLLEGGII THEOLOGICI
IN UNIVERSITATE LIPSIENSI
CIVIBUS ACADEMICIS
SALUTEM.

Quo animo Collegas & Confacerdotes CHRISTI erga se invicem affectos esse oporteat, communis omnium Doctor & Magister maximus, hodiernæ diei lectione Evangelicâ Nos commonefecit, quando semotis Joannis Baptistæ nunciis, absentem ministrum suum, & pro illo statu, ad quem se Rector Universi tunc demiserat, etiam comministrum prædicationis Evangelicæ, ad tantæ gloriæ fastigium extollebat, ut mortaliū neminem ei præferri pateretur: Quem ab obitu & post ablatam corporis sarcinam, impensius quoque laudavit, tanquam Eliam sui seculi, & quo ætas ista nequam digna fuerit Matth. XVII. Hoc videlicet intendens, ex Commentatoris Chrysofomi sententiâ, ut populo etiam & posteritati commendaretur illius viri memoria, cujus doctrina & sanctitas discipulorum voce jam ante in cœlum efferebatur: Ne vulgus ex missâ ad JESUM legatione abduceretur in suspiciōē de inconstantia Joannis, aut pusillanimitate Ejus ob infestū carceris squalorem, neve dissidium quoddam inter Joannem & JESUM extitisse præsumeret; hinc itum in laudes absentis, dimissis quoque domesticis, ne virum laude dignissimum suffragantis vox in faciem laudasse videretur (*ἵνα μὴ δόξη κολακέυειν τὸν ἀνθρώπον*) ne homini assētari videretur, quod *κόλακες*, i. e. parasiti & gnathones facere siveverunt.

Quemadmodum enim peregrè profecto gratum præstabis officium, si negocia ejus in domo aut foro geras, ingratus utique & importunus futurus, si ipso præsentē

rerum istarum fatagas : Ita laudes adstantibus in os dictæ, videntur laudatorem ipsum cōmendare potius, & derogare splendori virtutis alienæ, quasi seipsam satis cōmendare non posset, absq; admota face tuâ si fuerit; Absenti verò & erepto spectantium oculis, si dignum virtutibus ellogium dixeris, ipsum potius quam Te laudare voluisse censeberis. Neq; enim Te Advocato indigebat, qui causam suam præsens perorare melius poterat: At verò si carcere conclusum vindicaveris, si ægri, si defuncti, si oppressi causam egeris, tunc demum benè de ipso mereri voluisse putaberis. Mosen & Jobū laudabat divina vox, cum inter fratres & cognatos vellicari illorū fama cæpisset: Pro Mardocheo & Hestere loquebantur Acta publica, quum impius Haman felicitati eorum insidiabatur. Ethoc potissimum Collegas decet: hæc societatis lex est, ut alter alteri, tanquam unius corporis partes, invicem deferamus. Barbarorum & immanium rusticorū agrestis & in humana quædam indoles est, nolle verbo aut signo abigere canes, quos vident & rident invadere innocentē viatorem. Davidis sanè innocentiam tuebatur Jonathā, etiā adversus patris sui spicula: Et Achimelech Sacerdos, cum octoginta quinque cōministris suis, ejusdem Davidis laudes inter medios acinaces celebrabant: *Quis est in omnibus servis tuis tam fidelis sicut David, obsequens omni Imperio tuo & gloriosus in Domo Regis? I. Sam. XXII.* Mosen defunctum vox de cœlo commendabat: *Moses servus meus mortuus est: Non surrexit ultra in Israel Propheta sicut Moses, &c.* Lazarum tumulo jam conditum & fætentem, de Amicorum suorū albo legebat sermo DEI vivi, Joh. XI. Fœmellæ unius liberale exemplum per singula Christianorum templa, inq; ipso æternitatis palatio celebrandum præcepit, qui asseverare non dubitavit: *Amen dico vobis, ubicunq; prædicatū fuerit hoc Evangelium in toto mundo, etiam dicetur in memoriam hujus fœminæ, quæ pietatis obsequium mihi exhibuerit.*

Viam

Viam adeo ad laudationes funebres primus præivit is, qui solus immortalitatem habet: suo exemplo nos invitans, ut, quemadmodum ministeria alia fratribus exhibenda, consecravit pedum lotionem; ita hoc etiã fraternæ communionis officium, suo exemplo nobis cõmendaret. Quod omnis ætas Doctorum Ecclesiæ tam frequenti stipatoq; agmine insecuta est, ut nemo fermè inter Doctores prisca Ecclesiæ, à Collegis, successoribus, aut vicinis suis illaudatus obierit.

Atq; hæc officii necessitudo imposuit plurimùm Reverendo & Amplissimo Collegæ nostro, Dn. D. JOHANNI HULSEMANNO, Theologo celeberrimo, hanc provinciam, ut constituerit, Oratione publica laudare civibus Academicis, & cum primis surgenti in Reip. & Ecclesiæ spem Studiosæ juventuti, vitam, doctrinam & mores celebratissimi per orbem Christianũ Theologi, & Viri cujus magna laus est in Ecclesia DEI, Doctoris PAULI ROBERI, *Professoris Theologi & Antistitis in Ecclesia Wittebergensi Univerſoq; illo Tractu, quem circulum Electorale appellat, de publica salute optime meriti.*

Quamquam enim publica eaq; passim omnibus nota in Remp. merita, quemvis civem Christianũ ad hoc pietatis officium sponte suscipiendum invitare poterant. Ad se tamen vel hoc nomine aliquantò propius id pertinere censuit, quod septendecim annis in uua Cathedra Theologica ROBERUM conjunctissimum Collegam habuit, in eadem urbe concivem, consilio patrẽ, affectu fratrem, & ex Christianorum tessera Compatrem: de ejus proinde vita testari exactius posset, ac quisquam alius, qui nec per tanti temporis spacium, neq; tam frequenter, nec verò tam prope fuisset admissus.

Namq; ut Apostoli Christi cum præ cæteris Testem legendum arbitrabantur, propalandis sermonibus & miraculis Salvatoris, qui ab omni eo tempore in sedalatio Apostolico fuisset, quo intraverat

& exi-

& exiverat inter ipsos Admirandus ille Magister: Ipsi verò nefas quoque; ducebant post silentii siparium abjicere ea, quæ viderant & audiverant, Act I. & IV: Ita Conjunctissimo quondam Amico & Collegæ Beati DOCTORIS ROBERI religio fuit, silentio ea sepelire, quæ ad Studiosæ juventutis imitationem, & communem omnium Christianorum profectum maximam afferre utilitatem solent. Ecquid enim potentius ad edulcendam injuriarum, contumeliarum, egestatis, & laborum illam amaritudinem, qualem potior pars eorum, qui sacre Theologiæ studio se addixerunt, non solum degustare, sed & imbibere cogitur, quam salutaris DEI cognitio, cogniti casta veneratio, venerantis internum gaudium & tranquillitas, Sancta & pia conversatio, honor & existimatio apud Deum, Beatos Coelites Universumque; exercitum militantium sub vexillo Christi fidelium: Studium & contentio Christianorum Regum, Principum, Rerum publicarum, Academiarum, Urbium & opidorum, ut tam pio, tam erudito, tam modesto, tam suavi Doctore potiri sibi liceat? Quod B. Doctore ROBERO non sine singulari Numinis providentia ideò contigisse putandum est; ut nempe plures suæ conditionis adolescentes, felici studiorum suorum successu, ad pietatis orbitam strenuè calcandam, labores & incòmoda pietatis studium comitantia fortiter toleranda voluptatum illecebras excelso animo spernandas, ad luxuriam frænandam, divinæque; voluntati se totos resignandos alliceret & invitaret.

Hæc itaque; fini cum pl. Rever. Collega noster proximum diem Veneris à soluta Concione Nicolaitanà, destinaverit, ut, dum suo quondam Collegæ suprema facit, sequacibus ad virtutem calcar addat; Rogamus Magnif. Univers. Rectorem, Generos. Dn. Dn. Comitum & Barones, Celeberrimos Dnn. Professores, Doctores, Licentiatos & Magistros, nec non Ampliss. hujus Urbis Senatam, Studiosos autem juvenes etiam hortamur, ne quæ pigeat tam illustri Virtutis ROBERIANÆ Theatro corporis animique; præsentiam & attentionem commodare. Spondemus apertum iri tam splendidae pietatis thronum, tamque; locupletem virtutum cumulum, de quo carpere quisque; & vertere in rem suam possit, quod ad immortalitatis gloriam conducat augendam.

Neque; Nos deerimus cujusquam honestis desideriis, ad declarandam gratitudinem nostram, vicissim provehendis. P. P. Lipsiæ
Dominica III. Adventus Anno O. R. M DC LI.

RECTOR

RECTOR
ACADEMIÆ

WITTEBERGENSIS,

Johannes Scharfius SS.

Theologiæ Doctor ac Profefs. Publ.

Ordinarius &c.

CIVIBUS ACADEMICIS S. P.

SI DEUS immortalis fecisset, ut in præsentî de
venerabilis nostri Antistitis, PAULI ROBERI,
Viri amplissimi ac summi, recuperata ex diuturno
atqve difficili morbo, quo annos aliquot implicitus
fuit, valetudine, indicium facere publicè liceret, quanto
id gaudio, quantæq; gratulationi bonis omnibus foret?
Erat quippe in eo excellens, & omnis egregiæ artis
capax ingenium, incredibilis memoriæ vis, cum perspi-
cacitate judicii conjuncta; variæ præterea multiplicisq;
doctrinæ, ac Theologiæ imprimis, modus ingens: ad-
hoc provectoris ætatis beneficio multarum rerum usus
magnus, ut de mellita viri facundia, quæ inexhausta
venâ fluebat, nihil commemorem. Quibus ereptis
velut ac restitutis ex atrocissimi fati faucibus cum aliquâ
diuturnitatis spe si esset nobis denuò frui, quæ bona,
qui fructus maximi in orthodoxam Ecclesiam, in Aca-
demiam nostram & adolescentiæ studia redituri meritò
crederentur? Nunc harum rerum omnium non impe-
ditum usum tantum, ut hæctenus; sed omnem recupe-
randi spem atq; fiduciam, sublatam atq; extinctam pe-
nitus, nosqve eò redactos cum videamus, ut de supre-
mis

E

34.
mis viri & indicendis & adornandis navando nobis
opera sit, tantum ex fine illius nos acerbissimi doloris
ac luctus opprimit, quantum ex restitutione ejusdem
lætitiæ & faustæ acclamationis manere poterat. O verè
miseram & infelicem Academiæ conditionem, quæ tot
orbata luminibus, tot summis Theologiæ vatibus pri-
vata, ROBERUM quoq; qui unus ex veteri illo super-
erat numero, efferre cogitur; & licet intelligat sui gra-
vitatem vulneris ac altitudinem, opem in proximo ta-
men atq;ve auxilium non videat. Sed dum prospiciat
Deus, & mala nostra propitius levet, æquis feramus ani-
mis acerbitatem nostræ sortis, & ne ingrati atq; iniqui
videamur adversus commodata jam ante à Deo bona,
quæ possumus significatione honoris atq; officii Reve-
rendissimi nostri Præfulis funus, quod nobis ducendum
postea, prolixè & cumulate afficiamus, à scriptione præ-
senti capientes initium, quæ de sublata vitâ nobis est ex-
ponendum. PAULUS itaq; ROBERUS Wurzenæ,
Misniæ non ignobili oppido, non summo quidem, in-
genuo tamen loco, patre MARTINO, tribus suæ Ma-
gistro; matre CHRISTINA, PAULI HELDENII
Illustrium Baronum de Schonburg in Rosburg Ecclesi-
astæ aulici, Viriq; Clarissimi filia, anno dno 1797.
D. VI. Februarii natus est. Cum domi atq;ve in patria
Grammaticæ & primis illis literis feliciter dedisset ope-
ram, natus duodecim annos in ludum Illustrem, qui
Portæ est, ad capeffenda majorum artium studia aucto-
ritate Senatus patrii missus fuit. Ibi conatibus maximis
& omni contentione nervorum sub eruditissimis Præ-
ceptoribus, præter Latinam, Græcam, Hebraicamq;ve
eruditionem, non Logicæ tantum atq; Rhetoricæ tyro-
cinia, sed rudimenta quædam Philosophiæ etiam fortu-
natis

natissimis auspiciis excepit. Peracto sexennio ab optima matre (nam pater decesserat interim) in Lipsiensem Academiam amandatus est, impetrato ante stipendio Principis, ut necessarii sumtus in studia rectius paullo procederent. Altero anno, cum nostræ dedisset civem, optima quæque arte & præstantissimis, quibus pollebat, ingenii animique bonis ita innotuit brevi, ut commilitonum ore non modo celebraretur ROBERUS passim, sed ipsi Academiae patres diligentiam, studium, probitatem juvenis, tum excellentissimam indolem & maximæ cuique scientiæ parem, & collaudarent summopere, & omni affectu complecterentur. Quo factum, ut copiam ejus cum admodum cogi viderentur in arctum; à Viris Clarissimis pene certatim ejus ambiretur opera, quæ puerorum suorum tenera ætas ad capiendam virtutis & liberalium artium disciplinam institueretur. Nec dissimulandum, maximam partem illius temporis, quo apud nos vixit, Philosophiam & Theologicam sapientiam discendi causa, in præfecturas hujusmodi ipsi fuisse consumtam. Non sine studiorum detrimento aliquo: quippe in quæ libero impetu & integris viribus incumbere non posset. Majore tamen, nisi ingenii bonitas & indefessa atque infracta diligentia levasset hæc damna. Anno c^o l^o c^o XII. pridie Calend. Aprilis post luculentam & quidem publice etiam specimina edita, Philosophiæ Magister creatus solenniter, inter duos atque triginta, candidatos secundam lauream tulit: Brabeuta ADAMO THEODORO SIBERO, Clarissimo & literarum omnium consultissimo Viro, magno præterea & planè ad Musæ veteris genium ac laudem Poeta juxta & Oratore. In quibus artibus & ipse ROBERUS faciebat plurimum: invitatus ad studiorum hoc genus tum amæ-



mioris, quod nactus, ingenii ductu, tum liberalitate
 ipsarum artium & incredibili suavitate, qua optimam,
 quamq; & elegantissimam indolem facile trahunt. Phi-
 losophiæ Doctorem JACOBUM MARTINI præci-
 puè habuit: Sed Theologiam ex D. HUTTERO, D.
 FRANZIO, D. BALDUINO, D. MEISNERO (at
 quibus Viris?) feliciter hausit. Quorum perpetuò ea
 veneratione etiam recordatus est, ut nemo parentum
 suorum memoriam colere sanctius posset. Reddendum
 hoc loco testimonium, quod ingens Ecclesiæ & Pome-
 rania suæ decus DANIEL CRAMERUS, ROBERO,
 adhuc alumno Academiae nostræ, tribuit. Nam cum à
 BALDUINO Stetinensi Gymnasio Conrectorem, va-
 cante tum eâ provinciâ, peteret; isq; ROBERUM ipsi
 commendasset ex meritis, rescripsit CRAMERUS:
*benigne quidem secum agi; cæterum ROBERI ingenio majus ac
 amplius deberi theatrum.* Ac adstruebat tum fatum initia
 & causas in alio loco producendi de studiorum umbra
 ROBERI, in qua agebat. Nam paullo post vocatus
 Halam Archidiaconatum Marianæ Ecclesiæ in se susce-
 pit: mox actum cum eo missis duobus Senatoriis viris
 de Ephoriâ Ecclesiæ patriæ, functo D. MANFRASIO,
 accipienda: & permisisset eorum se precibus, nisi Ad-
 ministrator Archiepiscopatus Serenissimus retinisset,
 ut sibi aulæ Ecclesiastæ allegeret. Id Anno cIo lOc xvii.
 Jubilæo Ecclesiæ nostræ accidit, quo summum quoq;ve
 in Theologia gradum sumtu atq; auctoritate Principis
 in Academia nostra adeptus est. Eas itaq;ve partes dum
 summa fide ac integritate X. integris administrat annis,
 apud alios laudem, apud alios odium atq; invidiam, quæ
 eminentes virtutes maximè sequitur, invenit. Hoc spa-
 tio temporis ab Argentinensibus haud tantum de susci-
 piendo

37.

piendo pastoratu Ecclesiæ & Theologiæ Professione pri-
maria, appellatus est humanissime; sed à Senatu Hallensi
quoq; rogatus plurimum, ut D. JOHANNI OLEA-
RIO Superintendenti, qui tum digressus vitâ erat, succedere
induceret animum. Sed nihil horum permisit Princeps:
qui neq; Illustrissimo Saxonix Duci, JOHANNI PHI-
LIPPO, cum Generalem quem vocant, suis Ecclesiis
Ephorū PAULUM peteret, eam veniam dedit. Anno
cło Ioc XXVII. Rostochium quoq; invitatus est: & li-
cet annueret Princeps, ac potestatem ipsi faceret acci-
piendi delatas partes; distulit tamen plenam discedendi
veniam dare, quod vereretur, ne se implicito bellis, idq;
absente à ditionibus, Ecclesiastica res, & jura Episcopa-
lia, si nemo curaret, aliquid detrimenti caperent. Interim
accidit ut D. BALTHASARIS MEISNERI ingenio,
immatura utilissimi viri morte Academia nostra orbare-
tur. Hic cum in locum ejus sollicitaretur ROBERUS,
gratiam quidem sibi petiit fieri, quod datam jam ante
Rostochiensibus fidem pudore salvo negligere haud
posset: Sed vicit Serenissimi Electoris auctoritas pro
suo agentis jure, quod in ROBERUM, quâ civem, quâ
alunnum suum, numerato in annos plures stipendio,
optimo justissimoq; titulo habebat jam olim. Ab isto
gradu non multo post ad assessuram Consistorii & uni-
versalem cum nostræ tum cæterarum Saxonici circuli
Ecclesiarum inspectionem & curam, cum eam provinciâ
FRIDERICI BALDUINI mors vacuum fecisset, aucto-
ritate evectus publica est. Quibus muneribus hos qua-
tuor atq; viginti annos ita est functus, ut in nulla eorum
parte fidem, industriâ, ac providentiam suam pateretur
desiderari, simulq; & boni Episcopi, & Professoris egre-
gii, & optimi Senatoris ac civis numeros, curando, docē-
do,

do, consulendoq; nec non agendo præstandoq;, si opus, quæ consulisset, abundè impleret. Accedebat summa modestia animi, summaq;ve humanitas, & simplicissimi candoris integritas: ut nihil de pietate commemorandum: quæ cum præcipua sacerdotalis officii & necessaria maximè pars sit; eximiam admirationem vix habet. Nam qui, quod debet, facit sedulo, reprehendi saltem non potest. Hæ gloriæ maximæ virtutes habent, quæ extra necessitatem officii sitæ: quamquam salva honestatis opinione à nemine unquam omitti queunt. Decanatum Collegii sui semel gessit ac duodecies (namq; ad Rectoratum ipsum Academiae, per leges nostras, Antistiti aspirare haud licet) Extra ordinem Ecclesiastæ aulici partibus ante hos quasi XVII. annos in comitatu Serenissimorum Patriæ Principum functus est, cum nata inclita Electoris Serenissimi firmando solenniter & consummando pacti matrimonii fæderi, ad Regium Daniarum Principem atq; heredem Norvagiæ, D. CHRISTIANUM V. deduceretur. Interfuit etiam jussu Serenissimi Electoris nonnullis conventibus Theologicis tum Dresdæ tum Lipsiæ institutis. Ut, cum conferendæ sententiæ essent de adornando edendoq; Apologetico scripto adversus Jesuitarum Dillingensium de sustollenda pace Religionis impudentissimum & nihil nisi bellum ac sanguinem spirantem librum: item, cum deliberandum esset de cohibendo sistendoq; Rathmanniano schismate, ne id Ecclesiarum nostrarum sinceritatem serpendo corrumpere. Deniq; cum audiendæ Theologorum quorundam, à parte eorum, qui Reformatos appellare se solent, rationes essent, quas impetrato colloquio de in eunda concordia, & quam vocabant, fraternitate proposituri erant. Anno dñi 1694. ad d. XXX. Augusti legitimis nuptiis in matrimonium sibi junxit lectissimam & flo-

& florentissimam Virginem MARIAM, plurimum reverendi atque amplissimi Viri Dni PHILIPPI GALLI SS. Theol. D. & Metropolitanæ Ecclesiæ, quæ Magdeburgi est, Pastoris optimè meriti, filiam. Qui cum hæcenus ea concordia, ea conjunctione animi vixit, quanta optari unquam votis, & nonnisi ab absolutissimæ laudis conjugibus præstari potest. Liberos sustulit VI. tres reliquit superstites: CHRISTINAM DOROTHEAM Clarissimam fæminam, Reverendissimi atque Magnifici Viri Dn. D. JACOBI WELLERI Theologi celeberrimi, & Sereniss. Electoris Saxonæ Consilarii, Confessionarii, & aulæ Ecclesiastæ Primarii uxorem, quæ ipsum non una prole & avum fecerat: PAULUM PHILIPPUM denique & MARIAM CHRISTINAM. Qui omnes cum matre optimâ, mariti parentisque incomparabilis obitum veris & amarissimis lacrimis prosequuntur, inque societatem luctus sui amplissimum generum, & universam Civitatem facile trahunt. Anni 1698 XLIIIX. Novembri mense, cum, quod officii causa susceperat iter, converteret domum, ex frigidi juvenisque intemperie cœli ἀποπληκτικὸν πάθος contraxit, quod luminum haut tantum habetavi aciem, sed ipsam rationis etiam arcem, tentata memoriâ maximè, afflixit. Cui licet delato ad suos exquisitissima Medicorum auxilia adhiberentur maturè, non illi melius tamen factum est; nisi quod morbi vis grassata ulterius haud fuit: cum cæteris partibus corporis vigor suus ac robur intemerata manerent & incorrupta. Quare & ambulare nonnunquam extra urbem, interesse frequenter sacris publicis, venire in Senatum etiam solebat. Utsi deessent cætera, studium tamen & voluntatem exequendi muneris nondum sibi deesse significaret. Sub Februarii finem non tam errore mentis, quam quodam mortis præfagio, se monitum à parentibus tulit, veniret
ad

Zd 6656

ad se; nec sibi integrum esse, differre eam profectioem.
 Cumq; aliud persuaderi sibi haud pateretur, amatissimæ
 conjugi deniq; dixit vale, collaudataq; pietate ejs ac fide,
 prolixè egit gratias: facta præterea spe, in permittendis
 ad eam literis officii sui rectè memorè fore. Ad d. XVII.
 Martii cum à cæna fufis precibus, pro more, decantatoq;
 de septē novissimis Salvatoris verbis notissimo Psalmo,
 se recepisset cubitum, semel ac iterum sternutavit initio,
 mox reddere vomitu quicquid assumserat cibi, simulq;
 sic universo corpore stupere cepit, ut neq; valeret loqui
 amplius, & perduto auriū oculorumq; sensib9 adeò nihil
 sentiret, ut solo venæ pulsu intelligeretur vivere. Nihil
 omissum, quod laboranti salutē afferret. Adhibito quoq;
 cultellus est & secta vena: sed cura omnis frustra fuit:
 constititq; in eo pronunciato medentiū, quod apud Cel-
 sum de apoplexias curatione legimus, abunde fides: *Post
 sanguinis missionem si non redit & motus & mens, nihil spei superest.*
 Ad d. XIX. Martii sub IV tam vespertinā præsentib9 aman-
 tissima conjugè filiaq;, tum Medicis, Collegisq; Theo-
 logis, nec nō ministris verbi, efflavit animā, & Servatori
 optimo reddidit tanqvā seqvester depositum, quod ante
 hos IV. & LX. annos creditum & cōmendatū acceperat.
 Duraturus nobiscū animi donis, & perstiturus in memo-
 ria temporum, quamdiu & tot virtutum ejus manebunt
 exempla, & viv9 quæ voce ac calamo præcipit ac docuit,
 aut relegendur à discipulis, aut inde ad alios aliosq;, velut
 per manum, tradita propagabuntur. Ad Horā I. postea
 efferetur ex parochialibus ædibus, & habitā concione
 funebri in ipso tēplo, tanqvā in statione sua, humabitur.
 Quod exequiarum solenne ut pro summis Viri meritis
 frequentes atq; decore prosequamini, vos, ACADE-
 MICI CIVES, monemus summo opere omnes & adhor-
 tamur. P. P. ad III. Aprilis anno recuperatæ gratiæ
 clō Ibc LI.

F I N I S.

60/11

11/11



m.
næ
de,
dis
II.
oq;
no,
io,
lq;
qvi
ihil
ihil
oq;
L:
Cel-
Post
rest.
an-
co-
tori
ante
erat.
mo-
bunt
cuit,
elut
ostea
one
tur.
ritis
DE-
hor-
atiæ

Pon 2d 6656, 12K

ULB Halle 3
001 856 502






Q.N. 262/1

MEMORIA

V

MAXIME REVER.
ET EXCEL

D

PAULI

Doctoris Theol


in Universitate VVitteber
istius & Circuli Electoralis
Consistorio Ecclesial
Christiana

Ex stipulato & Collo

JOHANNE H

Theol. Doct. & P

Lip



LITERIS RI

exc

LIP

Anno Chr.

d
56

CEA
ANA

